

**Lettera patenti di nomina a Cavaliere di Grazia Costantiniano per
*Salvatore Fenicia***

**Dato da Ferdinando II Re delle Due Sicilie e Gran Maestro in Caserta nel
giorno 21 marzo 1859**

FERDINANDUS SECUNDUS

Dei Gratia

Utriusque Siciliae Regni, et Hierusalem Rex etc.

Parmae, Placentiae, Castris Dux etc. etc.

Magnus Etruriae Princeps Haereditarius etc. etc. etc.

Sacri Equestris Ordinis et Inclitae Militaris Religionis Costantinianae

Sancti Georgii sub Divi Basilii regula

Magnus Magister,

Dilecto Nobisque fideli SALVATORI FENICIA,

salutem et prospera omnia.

Prestantes ingenii tui laudes et animi virtutes, inculpatique mores, ac sincerum tuum erga Nos studium, nec non solertia et integritas in explendis Municipii muneribus tibi commissis et adprime sagax diligentia quam ad Rubi antiqua monumenta effodienda contulisti, quum Nobis tuae eximiae vetustarum rerum peritiae confisi in Presidem illis effusionibus Delegatorum elegimus, sane quidem animum Nostrum permoverunt ut te quadam illustri honoris tessera exornando tibi benevolentiam Nostram significarem et omnibus quanti te fecimus luculentissime innotescat. Quapropter Nos Magnus Magister ea qua pollemus auctoritate supremoque jure quod a Praedecessoribus Nostris accepimus, et Gentium consensione praesertim Summorum Romanae Ecclesiae Pontificum communitum, et in perpetuum confirmatum gerimus, scientes, et prudentes Te SALVATOREM FENICIA Equitem ex gratia Nostri Sacri Regalis et Militaris Ordinis Costantiniani dicimus, creamus, constituimus et declaramus, et Equitum albo adscribimus in eadem Sacra Militari Costantiniana Religione sub titulo Sancti Georgii, et sub Divi Basilii regula, ita ut in posterum ejusdem Sacrae Religionis Miles dicaris, appelleris, et nuncuperis, et Nostrorum Equitum et Militum consortio, et cuicunque coetui admittaris, prout admissum et aggregatum esse praecipimus cum omnibus juribus, honoribus et oneribus ad eandem Religiosam Militiam spectantibus. Quare omnes et singulos Serenissimos Reges, Republicas, Duces, et Principes, Marchiones, Comites, et Barones, Gentium Praefectos et Exercituum Rectores, nec non Communitates, et Universitates Terrarum, Oppidorum, Castrorum, Locorum, eorumque Gubernatores, Potestates, Rectores, et alios quoscunque Iudices tam Ecclesiasticos quam Saeculares ad quos Te forsitan divertere, pervenire, quocunque transire, interque comorari contingerit in Domino hortamus ac rogamus ut Tibi efficacis defensionis praesidio operam dent, ut his Privilegio et Gratiae Nostrae effectu uti, potiri et gaudere valeas, Teque ad eorum liberum usum admittant, videantque ne quid molestiae, perturbationis, aut detrimenti capias, vices quidem Benevolentiae Nostrae recepturi. Quibus omnibus ut certa habeatur fides hoc Diploma a Nobis, et a Nostro Ministro Secretario Status Ministrorum Consilii Preside subscriptum, signoque Nostro munitum exarari mandavimus.

Datum Casertae die XXXI mensis Martii MDCCCLIX.

FERDINANDUS—Magnus Magister.

(Luogo del Gran Suggello del Regno)

FERDINANDUS TROJA

Diploma Equitatus ex gratia Sacri Regalis et Militaris Ordinis Costantiniani pro SALVATORE FENICIA.

Pro expeditionis jure hujus Diplomatis nihil solvit, vigore regalis ordinis mihi traditi.

Datum Neapoli die XXXI mensis Martii MDCCCLIX.

MICHAEL MABIOTTINO regius Arcarius.

Vidit.

Pro Fisco Deputatus

Eques DONATUS PARILLI.

Exscriptum est hoc Diploma ad f. 327 rect. registri Equitum ex gratia regalis Ordinis Costantiniani qui in Archivio dicti Ordinis servatur — Die XXXI mensis Martii MDCCCLIX.

Cancellarius Archivii Praefectus

Marc. — GIO. ONUPLIUS GAROFALO.



Selezione a cura di:

http://www.costantinianotusciasabina.it/biblioteca_costantiniana.html